



Georgius ille in Sueviâ natus et educatus fuit. Is fœlici ingenio præditus, à teneris annis operam literis dedit, & prima rudimenta in patria percepit. Inde sese ad Academias contulit, & diligenti studio liberalibus artibus incubuit. In ijs cum plurimum profecisset, Magister artium creatus fuit. Pari ratione quoque Theologiæ operam dedit, & magnam eius facultatis notitiam sibi acquisiuit. Accedebat & uitæ innocentia, ac morum castitas. Itaque à Georgio Marchione Brandenburgico uocatus, Onoltzbachij Ecclesiæ pastor eligitur. In ea functione is magna dexteritate diu perseuerauit, atque Ecclesiæ unitatem conserua-

re studuit. Cum itaque inter Euangelicos contentio in sacramento cœnæ Domini exorta esset, omnem operam adhibuit, ut ea undique sopiretur, aut saltem procul ab Ecclesia sibi commissa arceretur. Verbum etiam Dei magno zelo annuntiavit, & homines ad uirtutes suo exemplo pellexit. Is cum Anno post natiuitatem Domini millesimo quingentesimo & sexagesimo primo in eo loco præteriret, in suo officio adhuc pergens à subditis optimo testimonio exornatus fuit, id quod ob mûdi ingratitudinem rara avis cognoscitur, Anon.